

Sammelband G.

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22



I. N. J.

Tractationis Synopticae

DE

# SUCCESSIONIBVS AB INTESTATO,

Quatenus ex Jure Civili, Saxonico, Culmensi,  
& Moribus Patriis deferuntur,

EXERCITATIO PRIMA,

Successionem Descendentium evolvens:

Solennis Disputationis causa,

In Gymnasii Dantiscani Auditorio Majori

D. 25. Febr. clo DC LV. ad placidè ventilandum

proposita

PRÆSIDE

CHRISTIANO ROSTEUSCHERO,

Jur: & Histor: Prof: Extraord.

RESPONDENTE

GEORGIO SCHRÖDER,

DANTISCANO.

---

Typis VIDUÆ GEORGII RHETII.

VIRO  
NOBILISS. AMPLISS. ET CON-  
SULTISS.  
DN. VINCENTIO  
FABRICIO,  
REIPUBL: DANTISCANÆ  
SYNDICO GRAVISSIMO,  
PATRONO MEO SUBMISSE  
SUSPICIENDO

*Primitias has juridicas Favorem Ejus  
ambituriens atq; patrociniū, eā, quā par-  
est, observantiā*

*Consecro & dedico*

Georg. Schröder Resp:

I. N. J.  
DE

SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO

Exercitatio I.

Expendens Successionem Descendentium.

**V**tilitas hujus materiæ, ut in simili loquitur Ulpianus l. 1. ff. de in integr. restitut. ipsa se ostendit: nullâ penè aliâ in universo juris corpore occurrente, quæ adeo crebrum sui usum in foro præbeat, teste præter alios Harprechto ad pr. l. de hered. quæ ab intest. defer. Neque enim tantum plures regiones seu provinciæ solam hanc intestati seu legitimam successionem, utpote per quam bona defuncti ad eum redeant, ad quem naturaliter pertinent, norunt & admittunt, vid. Hottom. in Anti-Triboniano cap. 6. Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. jur. univers. lib. 45. cap. 1. n. 2. Argentæus ad Consuetud. Britann. ad rubr. tit. 22. & 23. Mornac. ad l. 1. C. de SS. Eccles. verum etiam in plerisque ferè locis, ubi libertas constituendi de bonis suis per ultimam voluntatem adhuc viget (apud nos sanè, vid. Jus Culmense Revisum lib. 3. tit. 8. cap. 16. Dankiger Willführ / part. 2. cap. 5. art. 2. Gerichts-Ordnung / cap. 28. art. 2.) certa tamen eorum portio quibusvis defuncti propinquis lege servatur, in qua, testamento licet condito (si modo testamenti nomen merentur elogia ultima hæredis institutionem non præcisè desiderantia) successionis eorum jura locum inveniunt, notante Gudelino de jure noviss. lib. 2. cap. 5. & cap. 11. §. Hac de jure Romano. Quæ proinde quotidiana, & ob utilitatem magni omninò faciendâ Nov. Leon. 46. monitu Pauli in l. 25. ff. de liberat. legat. plenius attingere, & quomodo hæreditas ab intestato venientibus Jure Civili, Saxonico, Culmensi (quæ tria jura ante oculos sibi quoque statuit Jus Provinciale Prutenicum vid. lib. 5. tit. 12. circa fi. princip.) nec non moribus hu-

A

jus

jus loci deferatur, pro virili inquirere in animum induxi. Faveat conatibus Deus!

1. Potest autem successio ab intestato haud incommode dividi (neque enim de definitione laborandum, cum res sine ea intelligitur: ex Galeno *de differ. puls.* Duarenus *ad tit. de vulgar. & pupill. cap. 1. pr.*) quod alia sit naturalis, primaria, intrinseca, quæ jure communi cognationis & propinquitatis sanguinis defertur: alia Civilis, extrinseca, per accidens, è juris Civilis titulo aliquo extraneis competens; qualis **CONJUGUM ET FISCI**. Illa juxta Nov. 118. (quæ infinitas illas in jura legitimæ successionis per varias constitutiones, innovationes, renovationes, interpellationes in vectas perplexitates uno ictu, tanquam gladio Delphico, Justinianus dissecurit) tribus cognoscitur gradibus seu ordinibus, **DESCENDENTIUM, ASCENDENTIUM & COLLATERALIUM**: quibus proinde expositis undique perfectam esse successionis (primariæ scilicet sive cognationum *d. Nov. 118. præfat. vid. Ampliff. Dns D. Tabor Jurisprud: Element: part. 3. sect. 2. in th.*) legem, rectè pronunciat Imperator *d. Nov. 118. cap. 2. in fi.*

2. Et **DESCENDENTIUM** quidem seu liberorum (sunt enim hæc *ισοδυναμὸν ὄντα*, vid. *l. liberorum 220. de V. S. ubi Alciat. & Goed: Valent: Förster: de success. ab intest. lib. 4. cap. 2. n. ult.*) causa meritò prima est, utpote quibus parentum hæreditatem commune eorundem votum, & ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, addicit *l. 15. ff. de inoffic. testam. l. 30. §. 2. in fi de bon. libert: l. 7. §. 1. ff. unde liberi. l. 7. pr. ff. de bon. damnator. Nov. 1. cap. 1. §. 2. pr. fac. l. 1. §. 12. ibi: qui penè ad propria bona veniunt ff. de successor. edict. l. 36. §. 2. ibi: ne filius defraudetur debito naturali C. de inoffic. testam.* Minimè quidem eo sensu, ac si hæreditas, vel saltem aliquota ejus pars, liberis invariabili & incorrupto illo naturæ jure deberetur, ut *Dd. communiter existimant, quorum longa series extat apud Gail: 2. obs. 122. adde Treutl: vol. 1. diff. 13. §. 11. lit. c. ibidemq. Bachov. Fachin. lib. 4. contr. c. 32. Cöppen lib.*

lib. 1. obs. 121. Schurer. de success. ab intest. tit. 8. p. m. 51. Wesenb. consil. 157. n. 28. Moller. ad const. Elector. 12. part. 3. n. 3. & 4. Carpz. ibid. def. 5. Sed quia ex lege in ratione naturali fundata, cum ex eo, quod liberi participant de sanguine parentum, conveniens sit, bona quoque eorum ipsis obvenire. fac. Nov. 1. prefat. §. 2. ibi: tanquam hoc secundum ipsam naturam: quomodo etiam debitum naturale vocatur liberalitas in proximos consanguineos collata in l. un. C. de imponend. lustrat. descript. lib. 10. vid. Schurff. Cent. 1. cons. 21. per tot. & Cent. 3. cons. 37. n. 9. 10. Pfeil, cons. 125. n. 34. Vasq. controv. usufreq. part. poster. c. 41. n. 3. vers. Quid dicendum. Sischard. ad auth. Novissima C. de inoff. testam. n. 6. & Anton. Guib. Costan. quest. jur. cap. 15. qui tamen n. 23. à jure gentium legitimam portionem originem traxisse asserit.

3. Succedunt autem liberi I. Cujuscunq; naturæ si-  
ve sexus, §. 1. I. de hered. qua ab intest. def. l. 11. C. fam. et cise. Nov. 118. c. 1. pr. & in fi. Sachs. Landr. lib. 1. art. 27. in pr. in verb. Es sey Mann oder Weib. Jus Culm. Revis lib. 3. tit. 9. cap. 1. ibi: Es seyn Söhne oder Töchter. Caspar Schütz von Erbfällen cap. 6. Non obstante art. 17. lib. 1. Landr. utpote qui ex d. art. 27. & æquitate juris communis correctus, neq; de consuetudine (in qua sola intellectus & autoritas Juris Saxonici consistit, post Hartm. Pistor. lib. 2. quest. 25. n. 35. & quest. 26. n. 18. Carpzovius p. 2. const. 35. def. 8. n. 4. p. 3. const. 11. def. 13. n. 10. & const. 35. def. 7. n. 2. & in Arbore consanguin. cap. 6. n. 60. & 81.) observatur, attestante Schurer. d. tit. 8. reg. 1. ampl. 2. Cöppen. d. lib. 1. obs. 160. n. 4. Schultz Synops. instit. lib. 3. tit. 5. p. 216. lit. e. Adde sentent. post Landr. tit. Was zur Gerade/ Mor- gengabe/ Mustheil und Erbe gehöret. §. Zu Mustheil gehöret. & sen- tent. Scabin. Magdeb. p. 3. cap. ult. dist. ult. §. Item wie ein Mann.

4. II. Sive in potestate morientis fuerint (quos solos Lex. 12. tabb. propinquitatem civili ratione metiens agnoscebat §. 1. & 9. I. de her. qua ab intest. def.) sive non. d. Nov. 118. cap. 1. cum hodie sola naturali causa inspecta, i. e. jure sanguinis, parentibus liberi succedant. Auth. in successione in fi. C. de jure & legit. lib. juxta

4.  
 illud Rom. 8. v. 17. si filii, igitur & hæredes. Ut proinde neq̄ am-  
 plius Scto Orphitiano opus sit. Vultej. ad pr. I. de Scto Orphit. n. 4.  
 Gudel. de jure noviss. lib. 7. cap. 13. §. Porro quoniam, neq̄ emancipa-  
 tis auxilium Prætoris & petendæ intra anni metas §. 4. I. de honor.  
 possess. l. 1. §. 12. de success. edict. bonorum possessionis necessarium,  
 Schneidv. I. de hæred. quæ ab intest. def. in 1. ordine succed. de natur. &  
 legit. simul n. 5. Ungep. exerc. 2. q. 3. in Ajo. Gudel. c. 10. Magnif.  
 Dn. D. Fransk. exerc. 8. q. 1. n. 14. consequenter nec edicto Præto-  
 ris de conjungendis cum emancipato liberis ejus lib. 37. ff. tit. 8.  
 locus, naturali ratione suadente, ut pater liberos submoveat.  
 Vultej. ad pr. I. de hæred. quæ ab int. def. n. 34. Ungep. d. quest. 3. in  
 Nego. Gudel. d. cap. 13. §. utrum tamen filius emâcipatus. Dn. D. Fransk.  
 d. quest. 1. n. 15. seqq. frustra dissentientibus Alciato 3. parad. 10. Cu-  
 jac. ad l. ult. ff. de lib. & posth. & parat. d. tit. 8. lib. 37. ff. & ad d. Nov. 118.  
 Rittershus. part. 7. Novell. cap. 4. n. 19. & latè Mejero in Colleg. Jur.  
 Argentor. ad lib. 38. ff. tit. 6. th. 19. n. 3. seqq. & ad lib. 37. d. tit. 8. th. 1. ubi  
 d. tit. 8. cõtraria potius, ex juris ignorantia orta, consuetudine, aut  
 locorum statutis, quàm per Nov. 118. abrogatum esse asserit. Con-  
 sentit, & nulla fuitatis vel emancipationis sive separationis (mo-  
 do conferre velint) habita ratione liberos ad successionem indi-  
 stinctè admittit Sächs. Land R. lib. 1. art. 13. & Ius Culm. Revis. d. tit. 9.  
 cap. 1. & cap. 3. ibi: durch schicht und theilung abgesondert/ oder nicht.  
 & tit. 11. cap. 2. vid: Schurer: d. tit. 8. limit: 2. p. 91. Schultz d. tit. 5.  
 p. 222. lit. f.

5. III. Sive liberi ex uno matrimonio procreati fue-  
 rint, sive etiam pluribus: quo casu diversis quidem parentibus  
 divisim, separatim & distinctim, communi autem (origine bo-  
 norum, unde provenerint, Jure Saxonico pariter & Culmensi mi-  
 nimè inspecta, vid. const. Elect: 14. part: 3. Ius Culm. lib. 3. tit: 9. cap. 2.  
 quod de Civili quoq̄ contendit Carpz. ad d. const. 14. def. 16. n. 6. 7.  
 Diff. Forster. de success: lib. 4. cap. 16. Sichard: ad princ: l. 3. C. de secund.  
 nupt. Hillig. Don. enucl. lib: 9. cap. 2. lit. c. circa si. adde Bachov: ad Treutl:  
 2. D. 16. th. 1. lit. b. circa si.) æqualiter semper succedēt. l. matris 4. ff. ad  
 CSt. Tertyll. Ius Culm: Revis: d. tit. 9. cap. 2. vid. Saur. Büld. Fluß von  
 Erbs



50

Erbſchaften *part. 2. cap. 3. p. 209.* Schurer. *d. tit. 8. ampl. 12* Schük von Erbſällen *cap. 9.* Quanquam etiam in bonis utrinq; paternis & maternis æqualiter ſuccedat, facta *Unione prolium* (cujusmodi pactum declinandis litibus, quæ ob confuſa in diverſis matrimoniis, tractuq; tēporis ſeparatu difficilia bona, ſæpius oriri ſolent, multis in Germaniæ locis ſtatutó vel conſuetudine approbatum vid. de eo Gail. *2. obſ. 125.* Rick. *tract. ſingul. de unione proli.* Muſcul. *de ſucceſſ. anom. Cl. 1. memb. 3.* Saur. *d. cap. 3. p. 211.* Befold. & Wehner: *in voce Ein Kindſchaft*) jure filiationis conjuncti: remedio apud nos eo minus neceſſario, quod non ſolum conſummato per concubitum matrimonio proprietas bonorum omnium mariti & uxoris, vigore juris Culmenſis, confundatur; verum etiam ad ſecunda vota, portione debita liberis judicialiter non aſſignata, transire veter Danng: *Wiltb. lib. 2. cap. 5. art. 6.* vid. Schük *d. cap. 9.*

6. IV. Non ſolum liberi primi gradus (æqualiter & pro virilibus portionibus, ſo viel Häupter ſo viel Theil/vel: ſo viel Mund ſo viel Pfund/ quod in capita vocant) verum etiam iisdem præmortuis (non itidem ſe abſtinētibus, cum ſucceſſorium edictum in deſcendentibus & ſuis ne hodierno quidem jure civili locum habeat Dn. D. Fransk. *exerc. 8. q. 2.* Treutl. *2. Diſp. 16. th. 1. lit. g. ubi latè Bachov. p. 994. ſeqq.* Diſſ. Schneidv. *ad tit. I. de legit. agnat. ſucceſſ. n. 20.* Schurer. *d. tit. 8. ampl. 3. p. 61.*) nepotes ulterioresq; deſcendentes (ex una ſtirpe pariter viritim ſeu in capita, præcept: obſerv: Dn. D. Tabor *Jurispr. Elem. part. 3. ſect. 2. th. 11.* Carpz. *p. 3. conſt. 12. def. 11. n. 9.* ex diverſis verò jure repræſentationis in ſtirpes, nach den Stämmen/der Wurzel/ oder Zelgen §. *cum filius 6.* & §. *ult. I. de hered. quæ ab int. def. l. 8. §. 8. ff. de inoff. teſtam. l. 2. & 3. C. de ſuis & legit. lib. Nov. 118. c. 1. junct. l. 54. de R. I. N. X. de Ao. 1500. rabr. Die Succeſſion der Dichter oder Enckeln p. m. 56. & de Ao. 1521. §. nach dem auch p. m. 144. Sechſ. LandR. lib. 1. art. 5. ubi Gl. & Gl. Landr. lib. 1. art. 17. ſuper verb. ſtirbt ein Mann/ & Gl. Weichb. art. 63. in ſi. Scabini Lipſenſ. poſt Landr. tit: von Succeſſion auff Erbaliter/ fol: 536. in pr. & Brth: poſt Weichb: wie Kinder und Kinds Kinder fol: 131. Jus Culm. d. tit. 9. c. 1. Forſter: *de ſucceſſ. lib. 4. cap. 14. & 19.* Hillig.*

6.  
D.E. IX. 2. R.L.R. Schük von Erbf. cap. 6. 7. 8. licet soli existant,  
in gradibus sive inæqualibus, sive etiam æqualibus constituti.  
d. §. 6. vers. pari ratione I. de her. ab intest. Brth: post Landr: c. lo. §.  
liesse er aber Kindes Kinder / & Scab. Magdeb: part: 3. cap. 9. dist: 3. rubr.  
von Erbtheil in des Eltern Vaters Gut / pr. vid. Schulz synops. instit:  
d. tit: 5. p. 213. lit. c. & p. 215. lit. d. [à quo tamen adducta sententia post  
Weichb. Groß Eltern verfallen ihre Erbschafft fol. 135. nepotes in  
partes viriles vocat, & in præmortuorum liberis tantum repræ-  
sentationem admittit.] Schurer. d. tit. 8. ampl. 4. Cöppen. lib. 1. obs.  
160. n. 21. Coler: decis. 47. n. 6. seqq. Schük c. lo. cap. 6. §. Wo aber elo-  
ner Söhne. Diff. quoad Jus Saxonicum præ cæteris Pfeil. cons. 109.  
per Landr. lib. 1. art. 5. Brth: post Weichb. Was dem Manne aus des  
Weibes Gütern in fi. fol. 128. & tit. Bruder oder Schwester Kinder /  
fol. 132. In infinitum sive de simplici successione descendentium  
quærat, quo casu nulla subest ratio dubitandi, cum succedant  
jure proprio Bachov. ad Treutl. d. th. 1. lit. b. sive de jure repræsen-  
tationis in concursu cum superioribus. §. fin. ibi: & alias deinceps  
personas I. de her: ab int: Nov: 118. c. 1. in fi. vid. Forst. lib. 4. cap. 20.  
& cap. 22. n. 17. Treutl: c. lo. ibidemq; Bach. Ungep. exerc. 9. q. 6. in  
nego. Gerhard. dec. 11. q. 2. Hillig: D. E. IX. 2. S. Riem: dec: 8. q. 4.  
Schurer: d. tit: 8. ampl. 5. Schulz d. tit: 5. p. 209. & 215 lit. d. Cöppen  
d. obs. 160. n. 17. Schük d. cap. 6. Diff: & jus repræsentationis in  
pronepotibus terminari contendunt Fab. ad §. 6. I. de her. ab intest.  
n. 6. & ad §. ult. eod. n. 7. Angel. ad d. §. 6. n. 1. abusi in primis d. §. 6.)  
etiamsi pater eorum fuerit emancipatus d. Nov. 118. c. 1. Ius Culm.  
d. tit. 9. c. 3. ibi: abgesondert oder nicht. vel ex fœminarum progenie,  
perve fœminas (qui olim ante Nov: 118. c. 4. vel prorsus exclude-  
bantur, vel cum tertiæ partis diminutione admittebantur §. 15.  
I. de hered: ab Intest. Dn D. Fransk. exerc 8. q. 9. n. 8. Hill: d. cap. 2.  
lit: L. Forst: lib. 4. c. 12. n. 7. cum his qui ex emancipatis nati essent,  
Prætor per bonorum possessionem unde liberi, non minus quàm  
emancipatis ipsis subveniret. §. 1. vers. nec interest I. de serv. cogn.  
Forst: d. c. 12. n. 5. & 7.) descendant d. Nov: 118. c. 1. Ius Culm: d. cap. 1.  
& c. 3. Forst. d. c. 12. n. 9. Quanquam Scabini Magdeburgenses part.  
1. cap.

7.  
r. cap. 7. dist. 13. & 15. (unde indubiè manavit I. Culm. antiq. lib. 4. cap. 78.) ex perperâ intellecto textu Landr. lib. 1. art. 5. ubi vide Gl. Germ. ibi: oder sage daß mag der Tochter Kind &c. nepotes ex filio emancipato & filia à successione arceant; quod tamen ut irrationale meritò reprobatur, neq; de consuetudine observatur. vid. d. lib. 1. Landr. art. 17. (ubi tamen nepotes ex filia magis ascendentibus & collateralibus præferri, quàm cum aliis collateralibus simul admitti videntur) Brth: post Landr. tit: von Succession auff Erbgütter in pr. fol. 536. Schurer: tit: 9. rubr: Nach Sachsen Recht n. 3. Schneidv. I. b. in primo ord. succed. de nat. & legit. simul n. 15. in fi. Schulz ad d. tit. 5. p. 214. & omninò Schurff: cent. 1. conf. 73. & Schulz cap. 6. & 10.

7. V. Sive jam nati mensis (accipiendo eum in hac materia sèper pro lunari civili seu synodico [ita enim apud Dn. D. Carpz. p. 4. const. 27. def. 13. n. 6. & Jurispr. Consist: lib. 2. def: 225. n. 9. omninò legendum loco periodici vel peragrations] constante 29. diebus 13. ho. ferè, Ramirez. pentacontarchi cap. 3. Zacch: quest: Medico-legas. lib: 1. tit: 7. quest. 2. n. 30. seqq. vel certè triginta diebus in mensem [quod τριαννονήμερον Lunarem Medicorum facit Myns. 6. obs. 40. n. ult: Solarem Zacch. :d. quest. 2. n. 28. rectius nullum motum cœlestem sequi, sed inventum merè civile pro exæquatione temporis esse statuit Arnis. de part: human: legit: terminis n. 42.] computatis, arg: l. 101. ubi Bronch & Fab: n. 6. de R. I. l. 31. §. 22. & l. 38. pr. junct: l. 28. ff. de edil. edict: l. ult. §. 1. junct. §. 2. C. de jure delib vid. Gl. ad l. 3. §. ult. ff. de suis & legit. hered. Cujac: lib: 4. recept: sentent: Paul: cap. 9. §. 5. Rauchb: part. 7. quest. 24. Carpz. d. def: 13. n. 3. & Respons. Elector. lib. 5. resp. 111. n. 1. seqq. ubi n. 6. eam ob causam termino Saxonico trium quaterdenarum, Sächsischer Frist/ de consuetudine tres dies adjici docet, & Jurispr: Consistor: lib. 2. def: 225. n. 3. seqq. adde Alciat: ad l. 129. de V. S. n. 3. Hottom: 9. obs 9.) post contractas nuptias septimi quacuncq; die l. 12. de stat. hom: junct: l. si. ita 41. in fi. princ: ff. de manum: testam: & in primis d. l. 3. §. ult. de suis & legit: hered: Cujac: ad d. lo. Paul: Coler: decis. 97. Beust: de matrim. cap. 36. Schulz synopsis: Inst: p. 207. Carpz: d. def: 13. & d. resp: 111 n. 9. & d. lib: 2. Jurispr. Consist: def: 224. & 225. n. 8. 9. Conf: de septimestri partu Zacch: d. lib. 1. tit. 2. quest.

8.  
quest: 2. & 3. Dn. D. Sebizius *exerc. medic. 49. probl. 2.* (ubi quinquemestrem quoque & seximestrem partum, etsi rarum, realem tamen nec fictitium esse defendit, post Schenck, aliosque allegatos à Zacch: *d. quest: 2. n. 6.*) 3. & 4. Arnif. *de part. human: legit. term. n. 60. seqq.* Forster: *ad Instit. D. 3. th. 7.* vel etiam mense octavo Beust: & Schulze *ad. locis*, Forst: *d. D. 3. th. 6.* Zacch: *d. tit. 2. quest. 4.* Arnif: *d. tr. n. 84.* Dn. D. Sebiz. *d. exerc. 49. probl: 5.* Carpz. *d. const. 27. def. 14.* & in primis *d. resp. III. n. 32. seq. & d. lib. 2. def. 226* Diff. Cujac: *c. lo.* Cothm: *Disp. ad Inst. 2. coron: 1.* Tiraq. *in repetit. l. si unquam in verb: suscepit liberos n. 205.* C. *de revoc. donat. Sive nascituri §. 2. vers: posthumi quoque, & §. & licet 8. l. de hered: qua ab intest: def: l. 3. §. 8. ff. l. 4. C. de suis & legit. l. 30. §. 1. de acquir. vel omitt. her. junct. l. 7. & 25. ff. de stat. hom. (licet nondum perfecti Coler. *decis. 258.* Carpz. *p. 3. const. 17. def. 18.* & *d. resp. III. n. 20. seqq.* & exfecto matris utero *l. 12. ff. de lib. & posth. l. 1. §. 9. ff. unde cognati. l. 1. §. 5. ff. ad Sct. Tertull. Gothofr: ad l. 3. C. de posth. hered. instit. & ad Nov. 39. c. 2. §. 1. Hillig. D. E. IX. 2. lit. c. Sande *decis. Frisic. lib. 4. tit. 8. def. 8. in fi.* vel in manibus obstetricum decedentes Hillig: *c. lo.* Carpz. *d. const. 17. def. 19.* modo, ut hæreditatem transmittant, vivi in orbem processisse per emissionem vocis, aut respirationem, extensionem membrorum, similiaque signa probari possint, *d. l. 3. C. de posth. her. instit. l. 12. §. 1. ff. de lib. & posth. Coler: *decis: 258.* Carpz. *d. def. 18.* Sand. *d. def. 8.* adde Goed: *ad l. 129. de V. S. n. ult.*) intra menses post mortem (cum dies conceptionis aut incognitus sit, aut saltem obscurus, adeoque ab eo futura dinumeratio fallax. Mynsing. *6. obs. 40. n. 17.*) ejus, de cujus hæreditate agitur (neque enim nepotes, ulterioresque descendentes ad successionem avi aliorumque ascendentium admittuntur, nisi iis vivis saltem concepti fuerint *d. §. 8. l. de her. q. ab intest. l. 6. in fi. pr. ff. de injust. rupt. irr. l. 6. l. 8. §. 2. ff. de suis & legit: hered. etiam de jure novissimo post Nov. 118. cap. 1. vid: Forst: *de success: lib. 4. c. 23. n. 1. seqq.* Bachov. *ad Treutl. II. 16. 1. 9. p. 997.* & omnino Dn. D. Fransk: *exerc. 8. q. 5.*) decem (nisi foemina statim post obitum mariti ad secunda vota convolaverit: quo casu etiam septimo mense natum secundi mariti dicendum defendit Grassus §. *successio ab intestato quest. 2. n. 5.* quan.****

9  
quanquam alii neutrius esse, neutriq̄ succedere, vid. Forster. *lib. 4. c. 8. n. 11. seqq.* alii utriusq̄ dicendum, & ad geminā hæreditatē admittendum, per *l. 8. ff. de hered. instit.* alii deniq̄ formam spectandam, Coraf. *2. misc. 22. n. 5.* vel arbitrio Judicis rem relinquendam velint, Conf: Speckh. *cent. 1. quest. 79.* Hoen: *Disp: ad Inst. 2. §. 5. lit. a.* Bach: *ad Trentl: c. 10.*) proximos *l. 29. pr. ff. de lib. & posth. l. ult. pr. ff. de fidei comm. libert. l. 4. C. de posth. hered. instit.* non etiam mense undecimo de jure Justiniano *dd. ll. & disertè Ulpianus* (perperam reprehensus à Spigelio *lib. de formato fœtu c. 7.*) *l. 3. §. 11. de suis & legit: hered:* Forster. *Disp. ad Instit. 3. th. 4.* Hillig: *D. E. IX. 2. C. p. 770. pr. Duar: ad tit: de lib. & posth. hered: instit. rubr. de lege Velleja. circa fi. p. m. 354.* Diff: & paucos dies supernumerarios admittunt Cujac: *ad d. lo. Paul. & ad d. Nov. 39. cap. 2.* Myns. *d. obs. 40. n. 11. seqq.* aliiq̄ue apud Hoen. *d. th. 5.* quam sententiam, ut mitiorem, praxis sequitur, attestante Beust. *d. cap. 36.* Schulk. *p. 208.* & Carpz. *p. 4. const. 27. def. 15.* & *Jurisprud. Confessor. lib. 2. def. 225. n. 12. seqq.* ferè tamen à conceptionis potius, quam mortis tempore mense computando, ut putat Carpz. *dd. lo.* Quanquam etiam partum 333. diebus ab obitu viri, adeoq̄ mense duodecimo editum à muliere honestis moribus, nec ambigua pudicitia, habitum legitimum, & ad viri successionem admissum, referat Sand: *d. tit. 8. def. 10.* & natum mense decimo quarto Parisiis Speck: *cent. 1. quest: 77. n. 23.* Conf. de partu supra decimum mensem Plin: *histor: nat: lib: 7. cap: 5.* (quem locum, utpote à Gelio quoq̄ *N. A. lib. 3. cap. 16.* recitatum, malè à Cujac. *ad d. N. 39. in fi.* pro corrupto haberi, docet Alber. Gentil: *disp: decad: 1. disp. 1. p. 21.*) Gothoffr. *ad d: Nov. 39. c. 2. §. 1.* Zacch: *d. quest: 6. n. 2. 3. 4.* & Dn. D Sebiz. *d. exerc. 49. probl. ult.* biennalis quoq̄ infantis, qui gradus & loquens editus fuerit, è Crantzio & Aventino exemplum afferentem. Sanè, ut ordinarii partus, (uxore licet adultera existente *l. 11. §. 9. in fi. ff. ad L. Iul. de adult.* Forster. *lib. 4. cap. 8. n. 3. 7. seqq.* Covarr. *epit. in lib. 4. decret. part. 2. c. 8. n. 8.* Feust: *d. cap. 36.* Hill. *D. E. II. 20. Q. latè Vasq. part. 1. contr. c. 48. n. 19. & multis seqq.* Basil: Pontius *de sacram. matrim. lib. XI. c. 9. n. 2. 3.*) justis habentur, nisi in-

B

dubi:

dubitata indicia cōtra matrem militent, eam ex alio gravidam, (e. gr. si senex septuagenarius vel octogenarius juvenculam duxerit, & illa filium pepererit vid. omninò Richter. *de success. ab intest. sect. 1. circa pr. ubi Dicasterii Ienensis sententiam adducit. fac. l. 6. ff. de his qui sui vel alien: jur.*) ita extraordinarii illi injusti, neq̄ successibiles censentur, donec justi fuerint approbati. Alber. Gentil. *d. disp. 1. de nasc. temp.* ut proinde casus hi rari & extraordinarii ad facti quæstionem, id est ad Judicis, ut boni viri, arbitrium reducendi sint. Hottom. *9. obs. 9.* Sand. *d. def. 10.* Gudel. *de jure noviss. lib. 1. cap. 12. §. Ac decemviri.*

§. VI. Non tantum **Laici**, sed & **Clerici**, & **Monasterium** ingressi. *l. 55. l. 56. §. hoc etiam cognitum 1. ubi Dd. C. de Episc. & Cler. Landr. lib. 1. art. 5. circa med. vers. der Pfaff nimbt.* Non obstante *art. 25. lib. 1. Landr. in verb.* Begiebt sich ein Mann zum Mönchleben/der zu seinen Jahren kommen ist/ Er hat sich von Landrecht und Lehenrecht gelegeet. juxta quem pronunciant Magdeburgenses *part. 1. cap. 10. dist: un.* utpote reprobato, & cujus dispositio etiam in foro Saxonico, saltē quoad bona allodialia, usu non servatur, teste Coler. *decis. 46. n. 4.* vid. Brth. der Schöpffen zu Leipzig *post Landr. tit. Wie Mönche succediren mögen.* Schurer. *tit. 8. ampl. 11. Carpz. part: 2. const. 14. def. 59. & part. 3. const: 28. def. 3. n. 5.* Excipiuntur tamen Franciscani, ut sunt Fratres Minores, Capucini &c. quos ordo eorum bonorum reddit incapaces, *cap. exiit 3. de V. S. in 6. & in Clement. exivi. §. quia igitur in successionib. eod.* Gudel. *de jure noviss. l. 6. cap. 10. vers. questio quarta, & cap. 13. vers. cæterum* (vulgò **Bettel-Orden**) quibus Patres quoq̄ Societatis aggregat Markiewicz Scandali expurgati *n. in primis 52. 222. seqq.* Quanquam Jus nostrum Municipale bona monasterium ingressis cæteroqui obventura (præter ea, quæ ingredientibus à propinquis conceduntur) indistinctè proximiorib⁹ cognatis servet. Willsh: *part. 1. cap. 2. art. 6.* imò in inclytæ quoq̄ domus Saxonix ditionibus, monasteriis licet multis ibidem existentibus, ne unum quidem reperiri, qui in ulla re succedere possit, scribere non vereatur Moller: *ad const. Elect: 28. part. 3. n. ult:* quod etiam de generali regni Galliarum

arum consuetudine testatur Tholos. S. I. V. lib. 45. cap. 2. n. 8. 9.  
add. Gudel. d. vers. Cæterum.

9. Atq; ea quidem, quæ hæctenus allata sunt, ferè pertinent  
ad liberos naturales & legitimos simul, Ehelich geborne  
Kinder/ die in stehender Ehe geseuget und geboren sind. Quibus ta-  
men rectè etiam annumerantur nati ex matrimonio putativo  
& dirimendo, contracto videlicet ignoranter in gradibus pro-  
hibitis, vel cum eo eave, cujus conjux prior adhuc in vivis Sandr.  
lib. 1. art. 27. c. ex tenore X. qui fil. sint legit. Schurer: tit. 5. in. pr. &  
tit. 8. ampl. 1. adeò, ut unius conjugis ignorantia, contracto matri-  
monio in facie Ecclesiæ, sufficiens sit, ad faciendos liberos legi-  
timos utriq; parenti, Covarruv. epit. lib. 4. Decretal. part. 2. cap. 8. §. 1.  
n. 2. seqq. Forster: lib. 6. cap. 26. n. 3. Beust: de matrim. cap. 6. Sand:  
decis: Frisic: lib. 2. tit. 1. def. 8. vid. tamen Preuss: Sandr: lib: 2. tit. 4.  
art: 13. ibi: wann aber die Eltern beydersetts unwissend. nec non pro-  
creati ex matrimonio clandestino, sponso sponfa carnaliter  
cognitâ (qui coitus conjugalis ante solennem nuptiarum bene-  
dictionem, an & quale peccatum sit, vid. apud Covarruv. d. part.  
2. cap. 7. §. 2. n. 2. Carpzov. Pract. crimin. part. 2. quest. 69. n. 50. & Ju-  
rispr. Consistor: lib. 2. def. 131.) ante benedictionem sacerdotalem,  
vel etiam sponsalia publica forte facto functo, Carpz: part: 3. const.  
14. def. 12. & Richter. de success. ab intest. sect. 1. circa fi. pag. 105. seq.  
adde Schurff. Cent. 1. cons. 1. n. 2. seqq. Carpz. d. lib 2. Iur. Consist. def.  
17. & 36. Sand. d. tit. 1. def. 1. fac. Urth: hinterm Reichbild / wie  
die unechten Kinder &c. §. Wo auch der Gesell. Nisi forte legibus  
municipalibus harum rerum observatio injungatur, & insuper ir-  
ritum pronuncietur matrimonium absq; his ritibus contractum,  
ut de Politica Hollandiæ ordinatione testatur Sande d. def. 1. &  
de lege Frisica (in simili) def. 6. nec non de constitutionibus ma-  
rimonialibus regnorum Daniæ & Norwegiæ Brochmanus apud  
Ungep. exerc. 3. q. 5. (edit. noviss.) in Nego p. 128. qui jure quoq; Ca-  
nonico sine benedictione sacerdotali matrimonium legitimum  
minimè esse defendit, Conf. eund. exerc. 9. q. 3. in Ajo.

10. Quid dicendum de legitimatis? Sanè illegitimi procreati ex soluto & soluta (qui hodie, concubinato sublato, in naturalium liberorum locum succedunt, Covarr: *d. part: 2. cap. 8. §. 2. n. 4.* Cujac: *consult: 52.* Forst. *lib. 6. c. 27. §. An & hi & c. & c. 30. n. 4.* Gudel: *lib. 1. c. 15. §. Porro, Pontius de matrim: lib: XI. c. 1. §. 2. n. ult. & c. 2. n. 1.* Ampliff. Dn. D. Tabor *Disp. VVesenb. 1. q. 31.* vid: tamen Bach: *ad Tr. 2. D. 16. th. 3. lit. c. p. 1022. in fi.*) imò adulterino quoq; coitu, juxta Lipsk. *pract: obs: cent: 1. obs: 70. n. 7 seqq.* saltem, si is tempore nativitatis conjugalis inter Parentes esse potuerit, *arg: l. 7. ibi: quotiens de commodis ff. de stat: hom. l. 11. in fi. C. de nat: lib: Nov. 89. c. 8. in fi.* Covarr: *d. §. 2. n. 1. seqq.* Fachin: *3. contr. 50.* Forst. *d. lib: 6. c. 26. n. 4. & 6.* Pont. *d. lib. XI. c. 3. n. 2.* Diff: Gudel: *c. lo.* Bach: *ad Tr. 1. D. 2. th. 6. lit. f.* per subsequens **matrimonium** (liberis de nonnullorum locorum consuetudine, si ejus ætatis sint, matri in ipsa copula sacerdotali quàm proximè astantibus, eamq; vestitu tenētibus Schulk. *synops. Inst: in tit: de nupt: lit: k.*) legitimati, quoad omnia tam honores & ordines, quàm successiones (contracto licet matrimonio in articulo mortis *c. tanta X. qui fil. sint leg: junct. l. 30. de R. l. l. 106. ff. de cond. & demonstr. Gail: 2. obs: 141. n. 7.* Lipsk. *d. obs: 70. n. 2.* Pr. Landr. *lib. 2. tit. 5. §. 1.* & absq; instrumentis dotalibus, maximè de jure Canon. *d. c. tanta junct. Nov. 74. c. 4. pr.* Forst: *d. lib. 6. c. 21.* Schurff. *Cent. 1. conf. 1. n. 15.* Lipsk. *d. obs: 70. n. 4. seqq.* & inprimis Cov. *d. §. 2. n. 8.* ubi comunem hanc opinionem in terris quoq; Imperii, quoad filiorum successionem non minus, quam legitimationem eorum simplicem & matrimonii substantiam procedere, rectè defendit. Conf. Pr. Landr. *d. tit. 5. §. 1.* Diss. Vasq. *part: 2. contr. 41. n. 3*) in quorumvis hæreditatibus (ut proinde malè nepotem legitimatum ab avi hæreditate excludat Forst. *d. lib. 6. c. 10. n. ult.* vid. Bach: *ad Tr: 2. D. 16. th. 3. lit. c. p. 1023.*) ex legitimo matrimonio initio cōceptis æquiparatur Nov: *89. c. 8. & d. c. tanta.* Vasq: *d. part: 2. c. 43 n. 3:* Forst: *d. l. 6. c. 28.* Pont. *c. lo. cap. 1. §. 2. n. ult. & c. 11. n. inpr. 6. 7.* Ungep. *exerc: 9. q. 5.* Schurff: *Cent: 2. conf. 56.* Cöppen. *lib. 1. obs: 52.* Carpz: *p. 3. const. 28. def. 17.* Lipsk. *d. obs: 70. n. 6.* utpote secundum Dd. comm,



13.

comm. verè, non a. fictè legitimi Forst: *c. lo. c. 29.* Cov: *d. §. 2. n. 21.*  
*seqq.* Schurff: *d. Cent: 1. conf. 1. n. 18. seqq.* Carpz: *p. 2. const. 6. def. 15.* & *Iu-*  
*rispr. Cõsist. libr. 2. d. 236. n. 8. seqq.* & *libr. 3. d. 122. n. 8. seqq.* imò natalitio  
quoq; testimonio ornandi, quod ex thoro legitimo & honestis pa-  
rentibus nati sint, daß sie von ehrlichen / frommen / Christlichen Ehe-  
leuten / aus einem rechten ehelichen / unbesleckten / ungetadelten Ehe-  
bette hergekommen und geboren. Carpz: *d. def: 15.* & *d. def. 236. n. 14.* & *19.*  
Adstipulatur, & legitimatorum per subsequens matrimonium  
successionem (non obstate *art: 37. lib. 1.* Landr: *juxta què perperam*  
*intellectum pronunciant Scabini Magdeburgenses part. 1. const. 14.*  
*def. 3.* & *9.* eosq; secuti Culmenses *juris antiqui lib. 4. c. 17.*) approbat  
usus fori Saxon: vid. Brth: *post Weichb: wie die unechte Kinder &c.*  
*pr. fol. 136. b.* Gl. Lat. Landr. *lib. 1. art. 51. in fi.* & *lib. 3. art. 72.* Schneid:  
*l. b. n. 9. seqq.* Cöppen: *lib. 1. obs. 161. n. 3.* Schulz *p. 230. a.* nec non  
J. Culm: *Revis: lib. 3. tit. 9. c. 5.* Conf. Pr. Landr: *lib. 5. tit. 12. art: 1. §. 9.*  
(ubi tamen id restringi videtur ad concubinam in domo reten-  
tam) Schüss *c. 12.* & Lipsk. *d. obs. 70. n. 6.* ubi Regalem quoq; Cu-  
riam hanc sententiam perpetuò tenere scribit.

11. Idem pariter asserendum videtur de altero confirmandæ  
originis modo (tertius enim, de quo *l. 3. & 4. C. de nat. lib. N. 89. c. 2.*  
Cujac: *ad N. 74.* Forst: *lib. 6. c. 40.* Pont: *c. lo. c. 10.* obsoleto Curiarum  
usu sublatus fuit, Covarr: *d. cap. 8. §. 7. n. 4.* Cöppen: *lib: 1. obs. 51. n. ult.*  
Lipsk: *d. obs: 70. n. ult.* Ungep: *exerc: 9. q. 5. in Ajo*) legitimatione  
scilicet ex quocunq; illicito complexu natorū, vid: Covarr: *d. c. 8.*  
*§. 8. n. 8. 9.* Forst: *c. 32. n. 7. seqq.* Fach: *3. c. 57.* Pont. *c. 6. §. 16.* & omninò  
Lipsk. *1. obs. 71. n. 5.* **per rescriptum** Imperatoris *N. 84. c. 2.*  
& *89. c. 9.* vel Pontificis *c. per venerabilem X. qui fil. sint legit.* Forst.  
*c. 34.* Pont. *c. lo. c. 5. §. 1.* (sive ab iis immediatè & per se seu Senatū  
eorum supremum, sive mediatè & per alios etiam distantes, co-  
mites v gr. Palatinos. aut Nuncios Apostolicos restitutio nata-  
lium facta fuerit. Forst. *c. 35.* Pont. *d. c. 5. §. 2. n. 16.* Carpz. *p. 2. const. 6.*  
*def. 16.*) nec non quorumcunq; Principum Ecclesiasticorum vel se-  
cularium non agnoscentium superiorem in temporalibus, ut &  
Rerum publicarum liberarum Pont. *d. c. 5. pr. & §. 2.* Forst: *d. c. 34.*

n. 30. Nam & hoc modo legitimati liberi ab eo, cujus subditi,  
 Cov: d. c. 8. §. 8. n. 14. Fach: 3. c. 58. Diff: videtur Forst. d. c. 34. n. 18.  
 seqq. pro veris, & legitimis censentur, & ad successiones in bona  
 quocunq; loco existentia, vid: Cov: d. §. 8. n. 17. non tantum patris,  
 simul cum liberis post legitimationem factam ex alia uxore natis  
 Gail: 2. Obs. 142. n. 9. latè Bach: ad Tr: II. 16. 2. e. f. imò ex consuetudi-  
 nibus locorum & communi praxi, etiam ante impetratam legiti-  
 mationem ex justis nuptiis procreatis, tradente Lipsk. c. lo. n. 4.  
 adde Cov: d. c. 8. §. 9. n. 7. vers. ex quo inferitur. Gail. c. lo. n. 7. 8. Pont.  
 c. lo. c. 7. n. 3. verum etiam avi Cov: d. c. 8. §. 10. n. 5. omniumq; co-  
 gnatorum idonei fiunt, docentibus Cov. d. §. 10. n. 2. Forst: c. lo. c. 37.  
 n. 12. & c. 38. Pont: c. lo. c. 11. n. 3. frustra dissentientibus Schn. supra  
 alleg. n. 9. Tholos. 45. S. I. V. c. 7. n. 7. 9. & Cöppen: 1. obs. 161. n. 2. Conf:  
 d. Beth: post Weichb: wie die unechten & c. circa fi. Carpz. d. def. 16. n. 3.  
 & def. 27. Lipsk: d. n. 5. & n. 1. ubi praxin non solum Curia Regalis,  
 sed omniū ferè locorum & terrarum perpetuò legitimandi hunc  
 modum tenere asserit. Quanquam, moribus harum regionum, per  
 rescriptum legitimatos cum legitimè natis minimè admitti, tra-  
 dat Schütz d. c. 12. in fi. neq; ullam eorum mentionem faciat vel J.  
 Culm: Rev: supr. alleg. c. 5. vel etiã Pr. Landr. lib: 2. tit. 5. & lib: 5. tit: 12.  
 art: 1. §. 9. Ut aded forte etiam legitimatio, quæ in Orphanotro-  
 phium nostrum, sive das Kinder-Haus/receptis ex privilegio D. Si-  
 gismundi Augusti obtingit, tatum ad honores & opificia propriè  
 pertineat; maximè si eos non tam legitimari, quam ab initio le-  
 gitimè natos (cum & revera tales in orphanotrophio reperian-  
 tur, & expositi pro legitimis habeantur, defendente Pont. d. lib.  
 XI. c. 9. n. 4. 5.) pronunciari statuere velimus.

12. Transeamus ad legitimos tantum sive adoptivos,  
 quos Goldastus vocat Wahlfinder/ alii, anerwünschte gewilführte  
 Kinder. Ii, etsi proprii filii non sint, sed tantum ficti & imagi-  
 narii, Forst. lib. 5. c. 2. n. 7. patri tamen adoptivo intestato mortuo,  
 ut sui hæredes, cum naturalibus liberis succedunt indistinctè v.  
 Forst: d. lib: 5. per tot. Bach: ad Tr. d. th. 2. g. b. i. k. Fransk: exerc: 8. q. 6.  
 Quo tamen in casu existentium legitimorum & naturalium simul,  
 vel

15

vel etiam legitimorum, Statuta Francof. & Friburg. ipsa æquitate suadente & suggerente, adoptivos minimè admittunt, ap. Saur guld. Fluß p. 2. c. 9. p. 234. quinimò plerisq; in locis adoptionis usum & vim suam planè amisisse, & ferè, quotiescunq; de successione vel alio jure liberorum agitur, descendentes ex corpore nominari, ostendit Gudel. lib. 1. c. 3. circa fi. & de Francia quoq; restatur Tiraq. apud Hill. D. E. IX. 2. d. Consentit J. Culmense c. 6. ibi: keine Eheliche Leibes Erben / & Pr. Landr. d. tit. 12. art. 1. §. 5. ibi: Eheliche Kinder. Sanè de adoptionis jure per fora quoq; Saxonica reprobato (nisi ap. acta adoptio fuerit celebrata, & bona in talem translata) testatur Gl. Landr. lib. 2. art. 30. (quem tamen art. propriè non loqui de adoptionibus, censer Schurer: h. tit. 8. in fi.) sub n. 3. vers. Welche die Sachsen. Conf. Schulz p. 234. Cöppenz 1. obs. 161. n. 4.

13. Superfunt liberi **illegitimi**, qui vel naturales tantum, vel spurii, vel ex incesto, adulterino, aut aliàs damnato & sub certa pœna prohibito complexu orti. Et de incestuosis quidem, cæterisq; **ex damnato** & per leges civiles punibili **COITU** procreatis (quibus annumerari quoq; debere, saltem de jure Saxonico, natos ex soluta & conjugato, defendit Hartm: Pistor: lib. 1. quest. 30. n. 19. Diff. quoad jus civile Sich. ad. auth: ex complexu C. de incest: nupt:) expedita res est, (vide tamen supra tb: 9.) eos neq; patri (quem nec habere judicantur §. pen. l. de nupt. junct: l. 23. de stat: hom: ut nec pater eos liberos l. 6. C. de interd: matr: int: pup: & tut: l. 6. C. de incest: nupt: Conf: Lev: 20. v. 20. seq. ibidemq; August. c. 77.) neq; matri succedere, d. l. 6. pr. & vers. & sanè C. de secund. nupt: Forst. lib. 6. cap. 50. n. 1. Carpz. p. 3. const. 14. def. 11. n. 3. Pr. Landr. lib. 2. tit. 4. art. 13. §. 1. & lib. 5. tit. 12. art. 1. aded, ut de jure civili ne alimenta quidem iis debeantur, d. auth. ex complexu C. de incest. nupt. Conf. Sueton: in Augusto c. 65. Quem tamen legum civilium rigorem temperasse existimatur Jus Canonicum c. cum. haberet X. de eo qui dux. in matr. quam poll. cujus dispositionem non tantum in terris Ecclesiæ, ut post Ferrariensem putat Sichard: ad d. auth: ex complexu n. 7. sed etiam

iam foro seculari servandam, docent Covarr: *d. cap. 8. §. 6. n. 6. seqq.* Forst: *d. cap. 50. n. 3. seqq.* Carpz: *Jurispr. Consist. part. 2. def. 242.* Doctoresque commun. & secundum eam Consistoriales quoque in Saxonia ditionibus pronunciare tradit Schulz *p. 239. lit. a.* Conf. Pr. Sandr. *d. art. 13. §. 2. seqq.* & *d. art. 1. §. 10.* Quanquam ex verbis dict: *c. cum haberet*, utpote specialem tantum casum continentis, opinionem hanc vix probari, aut ad correctionem juris civilis inferri posse, contendat Ungep. *exerc. 9. q. 3. in nego. edit. noviss.* & Bach: *ad Tr. 2. D. 16. th. 3. lit. g.* imò *d. quoque auth:* diversimodè accipiant Lopez. *animadv. jur: civil: c. 32.* Bach. *c. 10.* & Georg. Coperus *Disp: inaug: Argent. 1646. hab. concl. ex jure natur. 1.*

14. Ad naturales & spurios quod attinet, aliud dicendum de hæreditate patris, aliud de matris. Patri naturales (i. e. ex concubina unica, indubitato affectu uxoris loco domi habita, nati, quos Romanorum jure medios inter legitimos & illegitimos fuisse putat Forst: *lib. 4. c. 4. n. 6.* imò legitimis accenset *lib. 6. c. 1.*) non extantibus legitimis liberis vel uxore (à quibus cæteroqui tantum alendi sunt secundum substantiæ mensuram arbitrio boni viri determinandam) succedunt in sextante sive duabus unciiis, cum matre, si adhuc vivat, viritim partiendis. Nov. 89. *c. 12. §. 4. 5. & 6.* Quod tamen succedendi jus ad nepotes extendi minimè debere, ex *l. ult. C. de natur. lib.* concludit Forst. *lib. 6. c. 10. n. ult.* dissentiente Bachov. *ad Tr. d. D. 16. th. 3. lit. e. pag. 1023.* & apertius Covarr. *d. c. 5. §. 4. n. 10.* Spurii verò (nisi fortè legibus municipalibus iis successio patrum deferatur, cujusmodi statutum defendit Bach. *ad Tr. d. th. 3. lit. e.* improbat Forst. *lib. 6. c. 34. n. 47. seqq.* Hill. *D. E. IX. 2. g.* Schurff *Cent. 2. conf. 50. n. ult.*) in nullo ei succedunt, utpote qui patrem demonstrare non possunt, vel certè cum habent, quem habere non licet. *l. 23. ff. de stat. hom.* veluti nati ex pluribus concubinis *d. Nov. 89. c. 9.* item expellice & marito arg. *l. 1. C. d. concub.* vel etiam quocumque stupro cum Virgine aut Vidua, Bach. *d. lit. e.* & imprimis Forst. *d. lib. 6. c. 47.* Unde Concubinatu lege Christiana jam dudum

17

studium reprobato, Conf. Ord. Polit. de Anno 1530. §. von leichtfertiger Beywohnung / *ibi*: aufferhalb von Gott auffgesetzter Ehe. naturalium etiam jus succedendi in sextantem jure Canonico locum non habere, contra Freutl: *d. D. 16. tb. 3. c.* disputat Bachov. *ibid. p. 1022.* quinimò nullas regiones ad duas paternæ substantiæ uncias naturales admittere, expressè scribit Gudel: *de jure nativiss. lib. 2. cap. 13. in fi.* & testatur quoq; Tholos: *S. I. V. lib. 45. cap. 6. n. 3. & 9.* & Duar: *ad tit. de inoff. testam. cap. 6. p. 176.* Quamquam universalem hanc assertionem evertat non tantum Lex Regia Hispanorù ad has duas uncias in hæreditate patris intestati, etiam extante uxore legitima, naturales admittens, docète Covarr. *d. §. 4. n. 9.* verum etiam Churf. Pfalz Ordnung / nec non Wormbser / & Franckforter Stadtrecht / *apud Saur güld. Fluß part. 2. c. 4. p. 224. seq.*

15. Matri verò, ut & reliquis per lineam maternam ascendentibus, tam spurii (etiam procreati ex stupro violento Forst: *lib. 6. cap. 50. n. 7. 8.* Carpz: *lib. 5. resp. Elector 113.* Hartm: Pistoris *lib. 1. quest. 42. n. 5.* & quocunq; coitu damnato quidem, sed in mulieris persona non punibili *d. quest. 42. n. in primis 4. 9. 23. 36.*) quàm naturales propriè, strictè & in speciè sic appellati, sive primi, sive ulterioris gradus sint, per omnia succedunt, §. *pen. l. 1. §. 2. ff. ad Sct. Orphit. l. 2. & l. 8. ff. unde cognat. extantibus licet* (modo mater non sit illustris) liberis legitimis & naturalib; simul *l. 5. C. ad Sct. Orphit. ad eò,* ut præteritis vel sine justa causa exhæredatis etiã inofficiosi querela adversus testamentum maternum & dictorum ascendentium competat *l. 29. §. pen. ff. de inoff. testam.* Schneidv: *l. b. rubr. de success. liberor. natural. n. 18. & rubr. d. success. spurior. n. 4.* Duar. *d. cap. 6.*

16. Neq; moribus Saxonis quicquam circa illegitimos in maternas facultates successionem mutatum deprehendere licet. Etsi enim nonnulli & nominatim Lipsk. *1. obs. 69. n. 16. seqq.* ex regula *art 38. & 51. lib. 1. landr. arg.* à contrario sensu evincere conentur, neq; illegitimos ad legitimè natorum successionem aspirare posses; prout Magdeburgenses quoq; olim pronunciaffe constat ex eorum sent. *post. landr. p. 1. cap. 14. dist. 4. 5. & in primis 8.* Jus tamen Saxonicum in hoc casu, sicut in multis aliis, propter suam iniquitatem non servari, sed secundum Jus commune ad natos ex damnato & punibili coitu restringi, post Schneidv. Schurer. Goldbecc, & alios docet Schulz *p. 236. a. Cöppen. lib. 1. obs. 161. n.*

§. 7. & novissime Carpz. part. 2. const. 14. def. 58. & fatetur Gl.  
 marginalis des Lehnrechts/cap. 72. Ut taceam, in d. art. 51. non so-  
 lum ipsa verba Germanica, unrechte Ehe/ suapte vi nuptias inju-  
 stas, illicitas, & specialiter damnatas, minimè autem concubina-  
 tum five eine Bnehe denotare, fac. Gl. Germ. art. 28. lib. 1. landr. &  
 Gl. cap. 72. Lehnrechts; verùm etiam phrasin, unrechte Ehe haben/  
 de eo commodissimè accipi posse, qui extra matrimonium, aut in  
 matrimonio prohibito constitutus est, five, Der unrechte Ehe hält/  
 prout d. art. 51. allegat Gl. art. 59. Weichb. §. Ihr sollet wissen/ & d.  
 quoque art. 38. accipit Gl. marginalis Latin. & Gl. Germ. ibid.  
 Quo sensu omnino indubitati juris est, illegitimum legitimos non pos-  
 se acquirere liberos, quippe ex justis tantum & legitimis nuptiis pro-  
 cedentes. Et sanè, ut maximè communem d. art. 38. intellectum  
 sequi, & cum Lipsk: existimare vellemus, illegitimè natos ne ex  
 justo quidem matrimonio legitimam prolem suscipere posse; suc-  
 cederet tunc tamen non legitimus illegitimo (quò d. art. 51. trahi  
 tantum potest,) sed legitimo pariter illegitimus, consequenter  
 contradictionem impicaret sentent. Scabin. Magdeburgensium  
 relata à Lipsk. n. ult. quod videlicet liberi legitimi ex illegitimis pa-  
 rentibus orti, illis non succedant, sed bona eorum tanquam va-  
 cantia fisco applicentur.

17: Cæterum non solum L. Regià Hisp: extantib. legitimis libe-  
 ris illegitimos haud admitti testatur Covarr. d. c. 8. §. 4. m. 15. sed &  
 plerasq; regiones eos à matris quoq; successione planè repellere  
 scribit Gudel. lib. 2. c. 13. in fi: quò etià inclinât Duar. d. c. 6. ubi ratio.  
 Cof. Sich. ad auth. ex complexu C. de incest. nupt. Quin etiam ap nos  
 etsi J. Culm. Rev. illegitimos quoq; ad matris successione ad-  
 mittat lib. 3. tit. 9. c. 14. ferè tamen majoris cautelæ gratia v. Lipsk.  
 d. n. ult. I. Culm. c. 6. pr. ibi: eheliche Leibes Erben/ rescripta Regia im-  
 petrari, vel etiam testamento in eos bona transferri solent. Cujus-  
 modi *εὐγενεια* minimè quoq; negligendum putarem, quando ne-  
 potes ex illegitimis vicaria successione ad aviæ bona aspirant,  
 utpote qui parentum labem non minus, quam personam repræ-  
 sentant. vid. d. §. Ihr sollet wissen/ junct. Lipsk. n. 8. Quancq; per ejus-  
 modi mediam personam nonnulli vitium adeò purgari velint, ut  
 avo quoq; succedat nepos, licet filius ex damnato coitu fuerit. v.  
 Gl. Lat: landr. lib. 3. art. 72. in fi. quòd tamen recte improbat Forst.  
 lib. 4. c. 1. n. 9. Cöpp. 1. obs. 161. n. 9.

99 A 6998


ULB Halle 3  
002 836 947




V. 17

Rehro









Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

364

N. J.  
 s Synoptica  
 DE  
 SIONIBVS  
 ESTATO,  
 ili, Saxonico, Culmensi,  
 triis deferuntur,  
 TIO PRIMA,  
 endentium evolvens:  
 utationis causa,  
 cani Auditorio Majori  
 . ad placidè ventilandum  
 posita  
 ESIDE  
 OSTEUSCHERO,  
 e Prof: Extraord.  
 NDENTE  
 SCHRÖDER,  
 ESCANO.  
 GEORGII RHETII.